



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



4<sup>o</sup> Diff.

II

Vol. CXV.

31

3642 (19)

# THESES

EX

## JURE NATURALI

ET

### ECCLESIASTICO

AC

## THEOLOGIA PASTORALI,

QUAS

IN CONVENTU, AC STUDIO GENERALI MONACENSI  
FF. MINOR. S. P. FRANCISCI REFORMAT.

PRÆSIDE

*P. F. GUARINO WEINZIERL,*

JURIS ECCLESIASTICI AC SS. THEOLOGÆ PASTORALIS  
LECTORE ORDINARIO.

PROPUGNABUNT

**PP. GALLUS ROTH, ET LUCAS KLEEBAUER,**

EJUSDEM ORDINIS, AC JURIS ECCLESIASTICI ET THEOLOGÆ  
PASTORALIS CANDIDATI.


DIE 17. JULII ANNO 1786.



CUM APPROBATIONE REVERENDISSIMI ORDINARIATUS FRISINGENSIS  
AC PERMISSU SUPERIORUM ORDINIS.

---

LITERIS ZANGLIANIS.



Nro. 923.

Theses ex jure naturæ, & ecclesiastico Theol. pasto-  
rali &c.

*Imprimatur.*

Registr. Fol. 1347

Sign. München im churfürstl. Bücher-  
Censur-Collegium. Den 4ten  
Junii 1786.

Franz Kab. Graff,  
wirl. R. und Sekretär

Bayerische  
Staatsbibliothek  
München



## EX JURE NATURÆ PRIVATO.

### I.

**E**a est naturæ, essentiæque divini Numinis ratio, ut, quamvis hominem liberrime condiderit, attamen illi alterum finem ultimum præfigere haud poterit, quam se ipsum, seu manifestationem, illustrationemque suarum infinitarum perfectionum.

II. Quoniam vero ea pariter hominis est natura, ut facultate ratiocinandi ex parte intellectus, & libertatis agendi ex parte voluntatis gaudeat, adeoque actiones con-vel diffformes finibus a Deo sibi præfixis elicere possit, ac proin illius actus bonitatis, vel malitiæ moralis capaces sint; plane Deus, ne aut impotens, aut minus sapiens, & providus audiat, regulas quasdam, tanquam medium, quo ad fines istos perduceretur, homini statuere debuit. Atque complexum harum regularum *Jus Naturæ* dicimus.

III. Porro libertas ea est voluntatis humanæ potentia, qua homo positus omnibus ad agendum requisitis potest agere, vel non agere: imo etiam sæpe contrarium, vel adversum agere; ita, ut non modo bonum apparens præ vero, & bonum minus præ majori eligere valeat; sed etiam neque per majorem delectationem appetitus sensitivi, aut judicium ultimo-practicum necessario determinetur ad actum illis conformem.

IV. Cum vero homo pro libertatis suæ arbitrio a finibus sibi præfixis deflectere, ac parum sua interesse existimare possit, sive iis con-vel difformiter egerit, nisi ad actus prædictis finibus convenientes per motiva sufficientia impellatur; consequitur, quod Deus fines sibi præfixos strenue consecrantibus præmium, hos vero negligentibus pœnam determinaverit; illis quidem beatitatem post hanc vitam æternum duraturam, his vero privationem hujus beatitudinis non sine vehementi cruciatu perpetim ferendam &c. Finis igitur secundarius, quem Deus creando hominem intendit, est ipsius hominis beatitas.

V. Jus naturæ, seu leges naturales nihil aliud sunt, quam ipsa lex æterna Dei necessario præcipientis, quæ positive finibus rerum conditarum, ac ultimo infinitis ejus, qua Authoris, & Gubernatoris universi, perfectionibus conveniunt, ac necessario prohibentis, quæ dictis finibus, & perfectionibus opponuntur, naturæ rationali per dictamen rationis potissimum manifestata.

VI. Lex naturalis alia absoluta, alia hypothetica est. Utriusque proprietas præcipua est immutabilitas, ita ut neque per abrogationem, derogationem, aut dispensationem directe tolli possit. Quoniam nihilominus lex naturalis hypothetica non obligat nisi dependenter a certis conditionibus, circumstantiis &c. Hæ autem sæpe in potestate divina, aut etiam humana positæ sint, nihil obstat, quo minus præcepta naturalia hypothetica nedum Authoritate divina, sed etiam humana improprie, & indirecte mutari valeant.

VII. Principium, cujus ope in cognitionem obligationum naturalium devenimus, duplex est, quorum unum subjectivum, alterum objectivum dici amat. Ad primum præcipue refertur sana, & recta hominis ratio. Actuale illius exercitium, si versetur circa con- vel difformitatem actionis cum lege, adeoque illius liceitatem, vel illiciteatam dicitur dictamen conscientiæ, quod pro diversitate motivorum, quibus innititur, vel certum, vel incertum, probabile, dubium &c. appellari consuevit.

VIII. Quoniam vero periculo transgrediendæ legis, seu contra legem peccandi nemo se exponere potest, ultimum rationis, seu conscientiæ dictamen de honestate, seu liceitate actionis, moraliter saltem certum sit, oportet. Quale cum nec ex principiis (ut vocant) reflexis fieri posse videatur, si tam pro existentia, quam non existentia obligationis legis æqualia, vel omnino pro illius existentia majora occurrant motiva; consequens est, ut in utroque casu contradictionis pars tutior, nempe pronuntians pro existentia obligationis legis sit eligenda.

IX. Principium objectivum est quasi fons, vel axioma generale, ex quo ratio humana leges, & quidem solas naturales deducit. Proximum & comprehensivum recte nobis derivari posse videtur a finibus rerum; quod sic efferimus: quidquid finibus rerum a Deo conditarum ex ipsa earum natura per lumen rationis conspicuis convenit, & cum illis necessario connectitur, lege naturali præceptum, quidquid vero iis repugnat, prohibitum est.

X. Verum cum præcepta naturalia sint immutabilia, eaque Deus, supposito liberrimo creandi hominem decreto, necessario condere debuerit: Deo autem a nullo ente extra se necessitas imponi valeat; consequitur, quod ultimum principium objectivum cognoscendæ legis naturalis sit infinita perfectio Dei, qua Authoris & Gubernatoris naturæ rationalis.

XI. Cum finis ultimus hominis sit manifestatio, & illustratio divinarum perfectionum, propria vero aliorumque hominum felicitas, ac perfectio fines sint intermediarii, qui ad gloriam Dei illustrandam tanquam ultimum finem referuntur; primum est, hominem ex lege naturali ad triplex officium obligari, nempe Deo, sibi, & proximo exhibendum.

XII. Primum hominis erga Deum officium est vivæ ejus, perfectionumque illius infinitarum cognitionis obtinendæ studium; a qua prima lege dum deflectunt atheismus, polytheismus, idolomania, epicureismus; patet, eos juri naturæ esse contrarios.

XIII. Ex viva divinarum attributorum contemplatione mox alterum resultat Officium Deo debitum, nempe cultus tam internus, quam externus. Inter actus cultus interni præcipuus sit amor tam benevolentis, quam concupiscentiæ; dein timor filialis, fiducia in Deo, & acquiescentia in illius providentia, ex quibus consequitur obedientia, obsequium &c. Ad cultum externum pertinent laus, oratio, supplicatio, gratiarum actio &c. Prono proin alveo fluit, juri naturæ immediate repugnare odium Dei, irreverentiam, blasphemiam, præsumptionem, diffidentiam, omnem superstitionem, pietatem politicam, erubescientiam pietatis, eorum, quæ perfectionibus divinis dissentanea sunt, efflagitationem &c.

XIV. Ex

XIV. Ex officio sibi debito homo obligatur ad ordinatum sui amorem, perfectionem, & conservationem. Primum igitur hominis, illudque respectu sui maximum negotium sit æternæ salutis studium & cura, necesse est. Dein in expoliendis animæ facultatibus intellectu nempe & voluntate defudet, oportet; illum quidem ad cognoscenda principia vera tam theoretica, quam practica compellendo, istam vero ad appetendum verum bonum, malumque verum averfandum alluefaciendo, ac inde contrarios sensitivos appetitus in obsequium sanæ rationis redigendo. Denique vitam conferyet, honaque exteriora, ac media ad ejus conservationem necessaria comparet, iis moderate utatur, atque famam sui bonam custodire, imo & augere, sine tamen ambitionis macula studeat, opus est.

XV. Vitam, nostrasque ac proximi facultates conservare, ac perficere ea solum ratione tenemur, quatenus sunt ad manifestandas divinas perfectiones media: at vero cum nefas sit, fini præcipue primario media præferre; primum est, quod nulla necessitas officiorum erga nos, vel alios excusare nos possit ab officiis erga Deum negativis, imo etiam positivis, si eorum omisio in injuriam, vel divinæ ejus gloriæ jacturam tendat.

XVI. In collisione officiorum erga nosmetipsos ea est observanda regula, ut finis medio, majus bonum minori, malum minus majori præferatur. Porro nullus officiorum erga se ipsum conflictus existere potest, qui licitam redderet autochiriam; quo tamen non obstante nedum licite, sed etiam obligatorie se quisquam vitæ periculo etiam proximo exponit, si id exegerit bonum univèrsale Religionis, aut Reipublicæ &c.

XVII. Officia aliis ex jure naturæ debita, alia imperfecta, alia perfecta sunt, quæ, si a natura promanant, connata, seu absoluta, si vero ex antecedente facto, vel pacto pendent, hypothetica audiunt. Ad officia imperfecta præcipue pertinent amor, quem etiam inimicis debemus; dein benevolentia, beneficentia, gratitudo &c. inniuntur huic principio: *quod tibi vis fieri, alteri feceris*. Perfecta absolvimus, si primo alterum non lædamus in suo sive connato, sive acquisito, ac dein cuique *suum* tribuamus.

XVIII. Læsiō officii perfecti, nisi damnum inde datum reparetur, dat jus coactionis, non vero denegatio solius officii imperfecti, nisi illud majori urgente necessitate in perfectum abeat. Unde si nostrum jus solum utile collideretur cum incolumitate alterius, illud huic cedere deberet, & si cessio non fieret, alteri competere jus coactionis. Quod si tamen nostra incolumitas pariter cum alterius incolumitate confingeretur, ubi par fuerit utriusque conditio, nostra alterius antecederet incolumitatem; secus est, si melior alterius sit conditio, aut nostra incolumitas per positivam destructionem alterius incolumitatis salvanda foret.

XIX. De jure naturæ equidem licet occidere injustum vitæ aggressorem, si illa alio modo conservari nequeat; non vero injustum calumniatorem, aut calumnias inferre parantem: imo nequidem facultates nostras injuste auferentem nisi hæc ad conservandam vitam nostram necessariæ sint, & aliunde recuperari non valeant. Duelum vero sanæ, vel honoris defendendi causa susceptum nedum in statu civili, sed etiam naturali, lege naturæ prohibitum est.

## DE JURE NATURÆ SOCIALI

I. Jus naturæ non modo hominem solitarium, sed quasvis etiam societates suis dirigit legibus. Oritur autem societas ex consensu duorum vel plurium hominum ad eundem finem per apta media obtinendum. Et quoniam varii fines esse possunt,

ob quos homines in societatem coeunt, diversæ quoque sunt societates. Imo cum non modo singuli, sed etiam diversæ societates ad certum finem coire possint, aliæ simplices sunt, aliæ compositæ, quæ dein in minores, majores, ac maximas, seu systemata (ut vocant) civitatum abeunt.

II. Inter societates simplicissima est conjugalis, ab authore naturæ universitati, non vero singulis præcepta. Finis ejus primarius cum sit procreatio, & bona educatio prolis, huic autem fini obviant polyandria, libido vaga, communicatio uxorum, omnisque species luxuriæ; patet, has omnes spurcicias jure naturæ esse prohibitas, ita ut neque ab hac prohibitione vagum scortatorem eximat sufficiens de educanda prole provisio, multo minus scelestissimam uxorum communionem consensus partium a crimine adulterii vere, & proprie talis, absolvat.

III. Cum jura & officia sibi repugnantia in eadem persona sine læsione juris naturalis coniungi non possint, id autem fieri necesse foret, si consanguinei lineæ rectæ sive ascendentes, sive descendentes societatem conjugalem inirent; plane consequitur, quod matrimonium inter eiusmodi consanguineos sit iure naturæ prohibitum.

IV. Ex procreatione liberorum confurgit societas parentalis, quæ ex natura sua inæqualis est. At quamvis parentibus ex ipsa generatione, debitoque naturali educandi prolem profluat quædam rectoria potestas in liberos ad perficiendas eorum facultates, moresque dirigendos; minime tamen hæc potestas coniuncta est cum iure vitæ & necis in eos, illos venundandi, aut omnia, quæ ipsis aliunde obveniunt, sibi arrogandi. Porro præcipuum parentum officium est erga liberos, ut eorum intellectum veri boni cognitione imbuant, & voluntatem ad illius appetitum, & amplexum inclinent. Liberi ex jure naturæ parentibus debent specialem amorem, reverentiam, filialem timorem, obedientiam, obsequium, gratitudinem, indigentibus sustentationem &c.

V. Societas herilis inter dominos & servos versatur. Est autem alia servitus mercenaria, alia obnoxia, alia coacta: nec ulla earum, si legitime sit obtenta, juri naturæ repugnat. Vernas tamen, seu proles ex ancillis proprie talibus natas servituti domini ancillæ haud subjicit ius naturæ. Tantum autem abest, ut domino extra statum collisionis competat ius occidendi servum etiam proprie talem, ut potius eidem ius naturæ resistat.

VI. Societas familiæ communiter ex conjugali, parentali, atque herili componitur. Ex pluribus familiis nascuntur societates, seu civitates minores, ex minoribus confurgunt majores, seu Republicæ Regna &c.

## EX JURE NATURÆ PUBLICO.

I. Jus naturæ publicum jura, & officia societatum civilium determinat. Societatum hujusmodi necessitas absoluta ex jure naturæ evinci non potest. Unde non male quidam sentire videntur, qui illarum originem partim malitiæ hominum, partim majoris securitatis spei adscribunt. Quidquid vero de origine sit, finis societatum civilium est securitas, tranquillitas, & sufficientia. Securitas vim exterorum arcet, tranquillitas læsionem civium inter se removet, sufficientia rerum ad vitam feliciter transigendam necessariorum acquisitionem, & conservationem respicit.

II. Fines isti cum in societate civili, attentis diversis hominum ingeniis & studiis obtineri vix possint, nisi in ea detur potestas rectoria; consequitur, ut in omni societate perfecta existat regimen, seu imperium, quod est ius perfectum actiones singulorum civium ad finem civitatis dirigendi.

III.



III. Si homines sporte sua in civitatem cœnne, penes totam eorum multitudinem est, leges fundamentales, formamque regiminis determinare; quod, si voluntati unius, *Monarchia*, si plurium *Aristocratia*, si vero communi universæ multitudinis suffragio detulerint, *Democratia* audit. Monarcha ex proprio arbitrio negotia Reipublicæ agit. In aristocratia agenda definienda sunt ex pluribus Optimatum votis: ex paribus enim nihil ageretur, nisi ex primæva institutione is, qui præsidet collegio, suo suffragio pondus addat alterutri parti, vel in certis causis locus sit calculo Minervæ. Idem, quod in aristocratia, obtinere quoque debet proportionaliter in democratia.

IV. Quisquis autem in Republica sit summus imperans, cum cives summum imperium in ipsum securitatis, tranquillitatis, & sufficientiæ causa transtulerint, aut saltem id sibi tacite stipulati fuerint; facile patet, quod summi Imperantis lex esse debeat *salus Reipublicæ*, & quidquid ut talis agit, id agere obligatus sit, quod finis Reipublicæ expetit.

V. Potestas agendi & determinandi, quæ ad Reipublicæ fines necessaria, vel utilia sunt, summum vocatur *Imperium civile*: quidquid in imperio civili sufficientem rationem habet, dicitur *majestaticum*. Finis civitatum est securitas a vi exterorum; hic finis obtineri sequitur, nisi penes summam Imperantem sit jus bellum gerendi, pacem ineundi, fœdera pandendi, indeque legatos mittendi: recte igitur inter jura summi Imperantis majestatica transeuntia recensentur jus belli, pacis, fœderum, & legatorum mittendorum.

VI. Finis societatis civilis alter est tranquillitas, quæ immunitatem a læsione civium inter se importat. Hæc cum conservari nequeat sine potestate legislativa, atque hæc etiam insufficientis foret sine judiciaria, & punitiva; patet, quod dicta triplex potestas inter jura majestatica (quæ immanentia vocant) Imperantis sit referenda. Et quoniam in Republica ea est negotiorum moles, ut iis sufferendis solus Imperans minime sit sufficiens, merito inter jura majestatis immanentia reponendum quoque est jus constituendi Administros, & Magistratus; qui tamen tanto muneri pares sint, necesse est; eoquod id juris ita competit summo Imperanti, ut simul habeat obligationem cavendi, ne Reipublicæ per administros aliquod nocumentum inferatur.

VII. Sicut in Republica securitatis, & tranquillitatis, ita & procurandæ sufficientiæ summis Imperantibus competit potestas. Ex hac potestate summo Imperanti, tanquam jus majestaticum immanens, profluit Imperium, vel (ut alii vocant) dominium eminens, vi cujus juxta Reipublicæ, bonique publici necessitatem & utilitatem circa res, & jura civium statuere, ac disponere, indeque pretia rerum taxare, luxum restringere, exportationem, vel importationem rerum in territorium prohibere, commercia ordinare, formam contractibus præscribere, horum alios prohibere, irritare &c. valet.

VIII. Imperium, seu dominium eminens non ipsam rerum, ac jurium civium proprietatem transfert in summum Imperantem. Unde in ipsius potestate haud est, res civium pro libitu auferre, aut eas in propriam, vel aliorum utilitatem convertere. Imo, quamvis interdum res privatorum ad bonum publicum applicare possit, si id necessitas Reipublicæ exegerit; compensatio tamen ex ærario publico fiat, aut certe damnum, quod quis Reipublicæ causa sustinuit, inter reliquos cives, servata proportione, dividatur necesse est.

IX. Quoniam securitas Reipublicæ bonumque illius commune conservari nequit sine magnis impensis, populusque ex jure perfecto summo Imperanti debet sustentationem, suæ dignitati conformem, nisi pro ea ex primæva institutione sufficientia bona doma-

domanialia assignata sint; consequitur, quod inter jura majestatica summi Imperantis quoque sit jus tributa, seu collectas &c. a civibus exigendi, hisque jus passivum eas pendendi perfectum correspondeat.

## EX JURE NATURALI GENTIUM.

I. **G**entis nomine non venit quælibet hominum societas, sed ea tantum, quæ supremo aliquo imperio regitur. Gens erga gentem eodem modo se habet sicut homo ad hominem in statu naturali; at vero in statu naturali homini respectu alterius competit perfecta libertas, ac independentia; proin etiam genti respectu gentis.

II. Libera autem & independentens non esset gens, si altera jus supremæ inspectionis in illius actiones haberet, aut causas cum utriusque juribus connexas sola terminaret. Nulli igitur genti independenti in alteram independentem competere potest jus supremæ inspectionis, aut potestas res, & causas cum utriusque juribus connexas, propria, & sola sua decidendi autoritate, nisi velis tollere alterius independentiam.

III. Sicut in statu naturali homini in hominem, ita in statu sociali genti in gentem justis de causis competit jus belli. Justa autem belli causa est imo. injusta læsio aut aggressio; dein injusta juris nostri perfecti denegatio; illa quidem defensivi, hæc offensivi.

IV. Cum vero injusta tantum juris nostri perfecti denegatio justam belli det causam; sua sponte sequitur, ob jus solum imperfectum, aut officium humanitatis denegatum alteri bellum indici non posse; ut adeo non sint justæ belli causæ, si quis alterius exercitus transitum denegat, commerciorum libertatem in suo territorio petentibus det repulsam, belligerantibus comneatum, pecuniam & subministrare nolit, nisi talia ex pacto antecedente, vel in extrema quasi necessitate petantur.

V. Quamvis porro etiam in bello detur jus præventionis, quæ est facultas injuriarum & læsionem imminuentem vi repellendi; at vero cum hoc jure uti haud possimus, nisi sit proximum læsionis periculum, minime vero sufficiat periculum solum remotum, levibus argumentis conceptum, aut tantum dubium; constat, quod sola major, vel crescens vicinæ gentis potentia, aut conservatio æquilibrii (nisi hoc in pactum sit deductum.) justam belli causam non præbeat.

VI. Præter justam belli causam, requiruntur sufficientes vires, ita, ut verosimilis sit spes boni eventus; alias enim summus Imperans licet non contra hostes, attamen contra proprios cives propriamque Rempublicam committet injustitiam, utpote eam exponendo proximo periculo ruinæ.

VII. Quia ex jure naturæ non sunt adhibenda media duriora, ubi leniora sufficiunt; plane jus naturæ lædit, qui illico ad arma proruit, quin prius rem, quam sibi abesse, aut deberi credit, repetat, negotiarum summi momenti amicabiliter componere, sufficientiæque belli avertendi media adhibere conetur. Medium bello mitius sunt Repressaliæ; quibuscunque igitur jus belli competit, iis & jus Repressaliarum, ac multo magis retorsionis competat, necesse est.

VIII. Post bellum pax. Cum vero ad finem belli plerumque non per sit utriusque belligerantis conditio, æqualitas dati, retenti, aut promissi prætendi non potest. Imo inita semel pace exceptio metus, aut belli injuste illati non dat justam novi belli causam; sed pax, utut injusta vi extorta, sancte servanda est non modo a summis pacifcentibus, sed etiam eorum Successoribus.

IX. Mediatores pacis sunt, qui officium conciliandæ inter belligerantes pacis in se suscipiunt. Quia vero mediatores sunt; non uni parti præ altera favere possunt, sed

sed perpensis utriusque partis causa, & rationibus æqua quævis cuique suadere videntur. At vero, quemadmodum in potestate belligerantium positum est consilii mediatoris amplecti, vel respuere, ita pariter in potestate mediatoris sit, oportet, ut neglectis suis consiliis officio hoc se abdicet; imo contra partem pertinaciter, & iniuste suum Consilium rejicientem oppositæ parti adhæreat.

## DE JURIS ECCLESIASTICI PRINCIPIIS.

I. Jus ecclesiasticum est complexus legum, ad quas homines Ecclesiæ Christi associati actiones suas componere necesse habent. Legum harum, earumque ad facta causasque obvenientes applicationis scientia Jurisprudentia dicitur ecclesiastica. Principia igitur, ex quibus Jurisprudentia assertorum suorum sufficientem rationem deducit, leges sunt ecclesiasticæ.

II. Cum vero leges ecclesiasticæ aliæ ab ipso Christo, aliæ ab illis, quibus id potestatis reliquit, proficiscantur: aliæ item statum Ecclesiæ publicum, & cum eo connexa, aliæ vero privata singulorum jura, ac obligationes respiciant: aliæ præterea aut pro universali, aut particulari Ecclesiæ latæ sint; restè jus ecclesiasticum in divinum, humanum, publicum, privatum, universale, & particulare dividitur.

III. Jus, seu leges divinas nobis exhibent S. Scriptura, divinitusque præsertim traditio; humanas vero diversi pro diversis temporibus successive conscripti SS. Canonum codices. Inter hos hodieum circumferuntur Constitutiones, & Canones sub nomine Apostolorum celebres: at genuini non sunt eorum factus. Id tamen Canones prædicti præ constitutionibus tulerunt, ut 50. priores, relictis tamen 35. posterioribus, jam in antiquum codicem Canonum R. Ecclesiæ relati sint, imo dein instar regulæ ecclesiasticæ haberi cœperint.

IV. Inter primas, easque genuinas Canonum collectiones orientalis Ecclesiæ merito illa censetur, quæ passim Codex *universalis Ecclesiæ* audit, ex Canonibus nicænis, ancyranis, neocæsariensibus, gangrenensibus, antiochenis, laodicensibus, deinde constantinopolitanis constata.

V. Nec Ecclesiæ Romanæ seculo IV. & V. suus desinit canonum codex, cui merito R. Pontifices post nicænos etiam inseruere sardicensis, ut adeo non nisi iniuste exin fraudis eos insimulent Protestantes. Exeunte seculo V. novam ex græcis potissimum exemplaribus adornavit collectionem Canonum Dionysius exiguus, cui dein alteram, solas decretales epistolas R. PP. a Siricio usque ad Anastasium complectentem adjecit. Sicut Conciliorum, ita & Canonum in primis seculis Africa fuit sæcundissima.

VI. Circa seculum IX. apparuit famosissima illa collectio Isidoriana, quæ ex eo maxime vapulat, eoquod ejus author decretales epistolas illi inseruerit, quæ non sine gravibus rationibus modernis eruditis spurix videntur. Id tamen Illust. de Marca de Concord. l. 3. c. 5. contra Blondellum observat: *Cui tamen in eo suffragari non possum, quod atrocioribus verbis epistolas dilacerat: quas e sententiis & verbis legum, Canonum antiquiorum, & SS. Patrum, qui quarto & quinto seculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat.*

VII. Successerunt demum Reginonis, Burchardi, & Ivonis Carnotensis collectiones, quas medio seculo XII. excepit notum Gratiani decretum, opus quidem valde utile; at multis mendis, & supposititiis Isidori decretalibus conspersum. Et quamvis summo sit exceptum applausu, ejusque emendationi manum etiam apposerint R.

Pontifices; attamen plus authoritatis non videtur habere, quam quantum habent fontes, vel usus, & praxis tribunalium ei detulit.

VIII. Prædictas, sicut & intermedias Bernardi papientis, Bernardi Compostellani, Tancredi &c. collectiones quasi absorbuerunt illæ Gregorii IX. Bonifacii VIII., Clementis V., quæ omnes legali authoritate prodierunt. Compillatio Extrav. Joannis XXII. & *Communium* equidem non prodiit authoritate legali; ea tamen decretis ibi contentis non deneganda esse videtur, nisi pro diversitate locorum legitima sit exceptio.

IX. Jus denique novissimum constituunt decreta posteriorum Conciliorum, maxime Tridentini, ac Bullæ subsequiorum Pontificum, quibus omnes obsequi tenentur, nisi opponi possit justa exceptio non factæ promulgationis, subsequæ abrogationis &c.

X. Quoniam vero de disciplinæ ecclesiasticæ exterioris partibus integræ quædam Nationes pacta inierunt specialia, uti in Germania nostra sunt transactio Calistina, Concordata &c. etiam ista pacta constituunt principium juris ecclesiastici particularis.

## EX JURE ECCLESIASTICO PUBLICO UNIVERSALI.

I. Vera Christi Religio non est arbitraria, ita, ut in potestate, aut arbitrio summorum Imperantium sit eam admittere, vel non admittere, vel admittam iterum ablegare. Sicut enim independentem a cujusvis hominis potestate, propria sua authoritate, ringente etiam Synagoga, illam instituit; ita & independentem, imo reitentibus etiam summis Potestatibus toti mundo inferri jussit, omnibusque, ut se eam profitentium societati adjungerent, præcepit.

II. Cætus, seu societas hominum veram Christi Religionem profitentium *Ecclesia* dicitur. Ex principio in jure naturæ publico fundato, & ab ipsis Protestantibus assumpto: Quo major est hominum multitudo, quæ in societatem coit, eo magis oportet eam esse rectoriam, & inæqualem. Cum igitur Christus societatem a se fundatam per universum orbem diffundi, & usque ad mundi finem in eadem fidei, & morum doctrina, sacramentorumque participatione permanere voluerit; nemo prudens dubitare potest, quin Christus Ecclesiam suam rectoriam instituerit, in eaque summum aliquod imperium spirituale collocarit; maxime eum id S. Scriptura, sacraque Traditio invictè confirmant.

III. Suffragantibus igitur non modo primariis Religionis christianæ fontibus, sed & ipsa institutionis ratione, Ecclesia Christi non est simplex, & æquale collegium (uti Protestantes, maxime recentiores volunt) sed vera sacra Respublica, vera potestate legislativa, judiciaria, & coercitiva a Christo donata.

IV. Sacrum hoc imperium Christus non commisit summis Imperantibus, multo minus quibuslibet S. Societatis membris, sed præordinatis a se viris, nempe Apostolis, eorumque legitimis Successoribus, ita exercendum, ut quidem factu esset vacuum, & mansuetudine temperatum, attamen in suo genere, & sphaera supremum, & independens, ac a civili imperio essentialiter diversum.

V. Regimen igitur Ecclesiæ est supremum, & independens. Ex jure naturæ publico supremum, & independens imperium consistere nequit; si genti in gentem competat jus supremæ inspectionis, resque cum utriusque juribus connexas pro suo arbitrio, ac ex propria authoritate dijudicandi; nulli igitur potestati extraneæ competit jus supremæ inspectionis in Ecclesiam, ejusque regimen quoad ea, quæ intra propriam ejus sphaeram continentur, neque res, & causas cum utriusque juribus

con-

connexa propria & solitaria auctoritate decidendi, nisi saltem tacitus accesserit Ecclesiae consensus.

VI. Sacrum Ecclesiae imperium ita Christus Apostolis tradidit, ut tamen D. Petrum commune unitatis centrum designaret, ac proin eum speciali quadam clavium jure, pascendique munere insigniret, & non modo honoris, sed etiam jurisdictionis prerogativa in ceteros Apostolos donaret. Quoniam vero nihilominus Christus ceteris Apostolis salvam voluit manere potestatem pascendi, regendique, quam ab eo immediate obtinuerant; facile patet, quod forma regiminis ecclesiastici non sit pure monarchica, sed aristocratia mixta.

VII. Cum vero Christus D. Petrum speciali potestate donarit, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, unitasque fidei, & doctrinae in societate a se constituta conservaretur, ac praeterea Ecclesiam suam usque ad consummationem seculi perdurare voluerit; is autem, qui vult finem, etiam media ad eam necessaria velle debeat: plane consequitur, Primum Petro datum non fuisse privilegium personale, sed hujusmodi, quod etiam ad successores transfret. Quoniam igitur R. Pontifices Petri Successores sunt, eodem, quo Petrus, gaudent primatu honoris aequae, ac jurisdictionis.

VIII. Cathedra Petri erecta est, ut esset unitatis in fide, doctrina, regimine, & disciplina generali centrum; cum vero fieri hoc non posset sine specialibus jurebus; plane R. Pontifici specialia quaedam jura competant, necesse est. Atque inter haec sunt jus supremae inspectionis, quid ubique terrarum circa fidei, morumque dogmata, & generalem disciplinam agatur; indeque ab omnibus particularibus Ecclesiis petendi aequae, ac recipiendi rationes, & relationes circa praedicta, mittendi legatos, condendi canones universales, etiam disciplinam spectantes, quin in potestate inferiorum sit eos pro libitu repudiare. Item canones constitutos tuendi, & exequendi, defectus inferiorum Praelatorum supplendi, in omni lege ecclesiastica, etiam a CC. generalibus lata, iusta de causa dispensandi, ipsa concilia generalia, si necessitas, aut utilitas Ecclesiae exegerit, convocandi, iis praesidendi, acta eorum confirmandi, ac exequendi &c.

IX. Jus Episcopos transferendi, deponendi, eorum resignationes admittendi, aliaque jura, quae sub nomine causarum majorum ventunt, olim a Conciliis provincialibus, aut Metropolitanis exercita, hodie sunt soli R. Pontifici propria; quin quoad hoc injustae usurpationis rei agi valeant. Imo causas quasdam majores non primum Saeculo VII. sed jam a primis seculis ad Romanam Sedem delatas fuisse, ac referri debuisse, monumenta ecclesiastica produunt.

X. Romanam Pontificem representant Legati ab eo missi: quos sicut R. Pontifex mittendi jus perfectum, ita & Summus Imperans recipiendi habet obligationem, si iusta de causa mittantur, ac alias legitimae exceptioni non sit locus. Quaecunque autem cum potestate mittantur, tenentur Episcopis salvum relinquere jus primae instantiae, ac in Germania nostra sese conformare concordatis.

XI. Post R. Pontificem in Hierarchia ecclesiastica jam a tempore CC. Lugdunensis II. primum tenent locum Cardinales. Eorum munus praecipuum est, ut consilio assistant R. Pontifici in gravibus Ecclesiae negotiis. Gaudent praeterea jure privato eundem eligendi: sede tamen vacante in ipsos non transit jurisdictio Pontificis, quam in universam obtinet Ecclesiam.

XII. Sicut haud cardinalitia, ita neque Patriarcharum, Exarcharum, Primatum inferiorum Metropolitanarum &c. dignitas ex jure divino profluit: humanae igitur institutionis est, juraque spiritualia, quae praedicti super alios Episcopos obtinent, sunt

quædam participatio supremæ potestatis D. Petro, ejusque Successoribus data.

XIII. De juribus Patriarcharum majorum, cum a R. Ecclesia dissideant, meritis sitemus. Metropolitanarum vero jura ex veteri Ecclesiæ disciplina sat ampla, ad pauca hodie redacta sunt, inter quæ præcipua sunt jus cogendi intra triennium Synodum provincialem, recipiendi appellationes in causis etiam protractæ, aut denegatæ justitiæ, ac visitandi diœceses suorum suffraganeorum. At, cum id fieri nequeat sine cognita prius in concilio provinciali causa, etiam hoc jus hodie cum CC. provincialibus quiescit.

XIV. Episcopi suam potestatem tam ordinis, quam jurisdictionis immediate a Christo obtinent, summo tamen Ecclesiæ Primati subordinatam, & quoad exercitium ab eo dependentem. Præter jura, quæ ipsis vi potestatis ordinis, jurisdictionis, ac ex lege diœcesana competunt, habent & jus suffragii in conciliis generalibus non modo consultivi, sed & decisivi.

XV. In Germania nostra Archi- & Episcopis cum sacro quoque conjunctus est Principatus politicus; ita, ut sint simul Hierarchæ Ecclesiæ, et principes imperii. Hoc ipso autem, quia duplici dignitate fulgent, qua Hierarchæ Ecclesiæ R. Pontifici juramentum obedientiæ, & fidelitatis, & qua Principes imperii Imperatori recte Vasallagium deponunt, quin unum alteri repugnet.

XVI. Tenetur quilibet ex lege divina generali, imo naturali hypothetica Religionem christianam veram non modo suscipere, sed etiam tueri: id vero cum maxime locum habeat respectu summorum Imperantium, qui vires, & jura Reipublicæ tenent, ac insuper ipsi etiam profanæ Reipublicæ plurimum interfit, ut Religio & Ecclesia vera sarta, testaque conservetur; pronum est, quod summo Imperanti incumbat obligatio tuendi veram Religionem, adeoque ipsi præsto sit jus Advocatiæ Religionis, & Ecclesiæ veræ, ex ipsius tamen Religionis principiis temperandum.

XVII. Habet igitur summus Imperans jus dogmata ab Ecclesia definita suis edictis firmandi, eorum executionem apud populum sibi subditum urgendi, rebelles compescendi, eorum libros prohibendi &c. cum vero Advocatia Ecclesiæ non involvat aliquam jurisdictionem in ipsam Ecclesiam, sed exteriorem quandam, eamque publicam illius tutelam, extra spheram Imperantis est; propria & solitaria auctoritate canones ecclesiasticos condere, legitime receptos abolere, aut mutare &c.

XVIII. Quid vero de Placeto regio? — Pluribus id Ecclesiæ independentiæ adversari, vero juris naturalis publici fundamento destitui, nec majoribus rationibus, quam ipsum placetum ecclesiasticum fulciri videtur. At demum hoc solidis ipsorum argumentis; injustitiæ tamen sine temeritate accusari nequit. Minime enim dubitandum, quin juri huic a summis Imperantibus jam per aliqua secula prætenso, Ecclesiæ, eorumque, quorum interest, consensus, si non expressus, saltem tacitus accesserit; partim ut efficacius eorum decreta executioni dentur; partim ut collisio feliciter Ecclesiam inter, & imperium evitetur, quæ plane frequenter enasci posset, si primo attendamus, quod decreta disciplinaria connexionem habeant sæpius cum juribus Reipublicæ; ac dein summo Imperanti competat jus legitimæ exceptionis, naturalisque defensionis, si per similia decreta Reipublicæ grave damnum, regiminis formæ immutatio, aut juribus ipsius quæsitis præjudicium inferretur.

## EX JURE ECCLESIASTICO PUBLICO GERMANIÆ PECULIARI.

L Jus Germaniæ speciale constituunt pacta diversa circa res, & jura ad exteriorem disciplinam spectantia, ab inclita natione inita. Horum injurium non recte derivatur

vatur ex Can. 22., & 23. d. 63., quorum primus Carolo M. ex concessione Hadriani I. alter vero Ottoni I. ex confirmatione Leonis VIII. privilegium, seu jus eligendi R. Pontificem desert: uterque enim canon de suppositionis vitio susceptus est.

II. Rectius igitur illorum principium sumitur a nota illa transactione Callistum II. Papam inter, & Henricum V. Imperatorem inita, in qua atrogato pedo, & anulo, in investituris Episcoporum ab Imperatoribus adhiberi solito, subrogatum est sceptrum; Ecclesiisque Germaniæ restituit liberam electionum jus, quod, sublata consensu imperatorii necessitate in electionibus discordibus, asseplavit Otto IV., Fridericus II., & Rudolphus I.

III. Quoniam vero postea tam jus electionis, capitulis competens, quam collationis beneficiorum per reservationes, & mandata de providendo R. Pontificum interpollatum est; his quoque modis positus per Concordata primitus Francofurti cum Eugenio Papa IV., dein Aschaffenburgi cum Nicolao V. a Friderico III., & imperii statibus inita.

IV. Concordata hæc non sunt privilegia R. Pontificum, uti sibi quidam curialistæ persuasere, sed habent rationem veri pacti bilateralis, ita, ut nec Natio sine Pontificis, nec Pontifex sine Nationis consensu extra casum urgentissimæ necessitatis, & consensus injuste denegati, iis derogare valeat. Nihil tamen obest, quo minus quoad aliqua legitimæ præscriptioni locus esse possit.

V. Interpretatio authentica concordatorum neutri parti privative competit; sed, cum pacti rationem habeant, ab utriusque partis mente, & consensu repetenda est. Unde merito Germani contra Bullas pontificias, in quantum Concordatis derogare videntur, excipiunt.

VI. Tria porro sunt capita, quæ Concordata respiciunt, primo libertatem electionum, dein reservationum papalium modificationem, ac demum Annatarum determinationem. Vi igitur Concordatorum Reverendissimis Capitulis de novo stabilitum est jus liberæ electionis, ita tamen, ut in iisdem R. Pontifici assereretur jus Germaniæ Episcopos, aliosque Præsules consistoriales confirmandi, nec minus jus devotionis immediatæ, si electiones intra legitimum tempus non fuerint factæ, aut præsentatæ.

VII. Si capituli electio fuerit discors, jus causam decidendi non ad Imperatorem, sed ad R. Pontificem pertinet, qui tamen ita illam finiat, necesse est, ut pro meritis causæ cujuslibet electi secundum decretum Basiliense: *sicut in constituenda domo*, quod Nationi salvum mansit, electio judicialiter confirmetur, aut infirmetur.

VIII. Reservatio Extrav. *Execrabilis* ita modificata est, ut se non extendat ultra primum Beneficium etiam in casu, quo quis utrumque retinere contenderit: imo neque primum reservatum sit, si secundum non fuerit immediate a R. Pontifice, aut ejus curia collatum.

IX. Ut privatio, aut depositio Clerici reservationi in Extrav.: *ad Regimen* statutæ locum det, ea per sententiam judicalem a Pontifice, aut ejus autoritate latam, fiat necesse est; unde non sufficit, si ea facta sit ab ordinario, vel lege, aut canone.

X. Ecclesiæ Cardinalium in Germania ab ipsis possessæ equidem vi ejusdem Extrav. per Concordata denuo reviviscentis, subjacent reservationi papali, si per mortem eorum in curia vacaverint; non vero si prædicti extra curiam diem obierint. Nec minus illæ quoque dignitates, & Beneficia a reservatione immunia sunt, quæ a curia promotus, ante actualem promotionem resignavit.

XI. Eadem Extrav. *ad Regimen R. Pontifici* alternationem mensum quoad col-  
lationem inferiorum beneficiorum desert; at sub his haud comprehendit, sed potius  
excipit litera Concordatorum majores dignitates post pontificiales in cathedralibus,  
& principales in Ecclesiis collegiatis.

XII. Quamvis vero reservationibus pontificiis varii limites positi sint per Con-  
cordata, præcellenti tamen juri primariorum precum, quod Imperatoribus competit,  
nihil per illa derogatum est; multo minus eæ sublatae sunt per decretum Triq. SS. 24.  
c. 19. Nihilominus preces istæ nequeunt dirigi ad capitula, ad quæ antea nunquam  
directæ sunt, aut in quibus, directæ, effectu semper caruerunt. Precista præterea  
iis qualitatis prædicitur sit oportet, quas statuta Ecclesiæ, ad quam per preces no-  
minatur, legitime facta exigunt.

XIII. Novam Juris ecclesiastici peculiaris partem Germaniæ addiderunt diversa  
pacta, quibus inæundis infausta Religionis a Lutero, & sociis excitata ansam dede-  
runt dissidia. Primas quasi religionis suæ inducias obtinuerunt Lutheri alleclæ in  
committis Norimbergenibus 1532. ubi vetitum est, ne quis eis religionis causa mo-  
lestiam inferat. Plus addidit transactio Passaviensis 1552. cui dein quasi basi in Co-  
mittis augustanis 1555. pax religiosa superstructa fuit.

XIV. In pace hac religiosa a Protestantibus quidem expetita est autonomia pro  
subditis suæ Religionis in Territoriis Principum maxime ecclesiasticorum degentibus;  
at tantum abest, ut id catholici Principes concederent, ut potius contra eam non mi-  
nus, ac declarationem Ferdinandi Regis, quam postea confingebant, & verbis, &  
factis protestarentur.

XV. Sopivit aliquantisper tumultus Pax religiosa, at ita, ut postmodum atro-  
cius exardesceret notum illud tricennale bellum, cui demum finem inposuit Pax  
Westphalica. Utut autem pax hæc, non minus rebus Ecclesiæ, quam imperii fune-  
sta, vi armorum sit extorta, nihilominus a catholicis licite, & valide fuit inita, ad  
eamque sancte observandam ipsi æque, ac protestantes obligantur: non obstante pro-  
testatione quam solemnissime illi opposuit Innocentius X. in Bulla *zelo domus Dei*;  
licet enim ea juste facta sit, nec suo careat effectu, valori tamen pacis respectu Ger-  
maniæ non obest.

XVI. Jus reformandi exercituum religionis, ab ipsis etiam protestantibus jam  
ante occupatum, Statibus immediatis utriusque partis colligantium stabilitum est  
Art. V. §. 30. J. O. ita, ut titulus hujus juris esset usitata in imperio praxis, con-  
ditio vero necessaria jus superioritatis territorialis.

XVII. Favore §. 31. cit. Art. V. solum illi subditi a. c. Statuum catholicorum  
gaudent, qui in anno normali publicam, vel privatum religionis suæ exercitium ha-  
buerunt: pro illis enim, qui simili exercitio dicto anno carebant, aut post pacem  
W. religionem mutarunt, aut hodie mutant, scripti sunt §§. 34. 36. & 37. Unde &  
hodie Statibus imperii competit jus subditis religionem mutantibus emigrationem præ-  
cipiendi, salvis tamen Beneficiis per eosdem §§. ipsis concessis.

XVIII. Jurisdictio & jus diocesanum Episcoporum in A. C. Status, & eorum  
subditos §. 48. Art. v. J. O. non extinctum, sed tantum suspensum est. Unde illico  
illud Episcopo diocæsano reviviscit in Principem acatholicum, si ad sacra avita rediret.

XIX. Cum jus reformandi Statibus imperii immediatis sit stabilitum cit. §. 30.  
J. O.; jus autem reformandi, prout a protestantibus non modo prætensum, sed etiam  
exercitum est, involvat tanquam partem potestativam jurisdictionem quasi ecclesiasti-  
cam; consequens est, ut eam jure & legitime exercent non modo princeps acatholi-  
cus ad religionem catholicam reversus, sed etiam catholicus protestantico succedens  
in subditos sui territorii protestanticos.

XX.



**XX.** Ipsis adeo Imperatoribus jus primariorum precum in Ecclesiis suæ Religio-  
nis adimere satagebant protestantes. At post multas altercationes tandem eo deven-  
tum est, ut Imperatori jus primariorum precum in Ecclesiis protestanticis immediatis  
integrum relinqueretur, in mediatis vero restringeretur ad exercitium 1 Jan. 1624. ha-  
bitum: id quod tamen non de actuali, sed morali exercitio intelligendum esse, tam  
mens Paciscentium, quam ipsa juris hujus natura evincit.

## DE JURE ECCLESIASTICO COMMUNI.

**L** Cum penes illos sit, oportet, facultas administratos in Ecclesia constituendi, qui-  
bus cura eam regendi commissa est; plane potestas eligendi, & designandi  
hominum ad spiritualia officia ad Prælatos, & personas ecclesiasticas in regula pertinere  
dignoscitur. Quoniam vero hujusmodi designatio haud versetur inter jura potestatis  
ecclesiasticæ essentialia, & inabdabilia, etiam Laicis, maxime Principibus jus no-  
minandi, & præsentandi legitime concessit Ecclesia.

**II.** Promotus ad Ecclesiam parochialem necdum Sacerdotio initiatus, si illud in-  
fra annum a die quietæ possessionis recipere neglexerit, ipso jure beneficio privatus est,  
ita, ut illud nec amplius in favorem tertii resignare, nec ipse per novam institutio-  
nem pro illa vice obtinere valeat.

**III.** Cum præcepto divino mandatum sit pastoribus oves suas agnoscere, iis in-  
vigilare &c id autem fieri vix possit, nisi gregi suo assistant; sane non modo Episcopi,  
sed etiam omnes, quibus cura animarum incumbit, in thesi de jure divino ad perso-  
nalem residentiam, eamque non otiosam, sed laboriosam obligantur.

**IV.** Modus perveniendi ad dignitates pontificales in nostra Germania est electio,  
vel postulatio. Episcopus statim ab initio a sua sponfa repudiatus, vel solum titularis,  
seu ad titulum Ecclesiæ Clero, ac populo christiano carentis, consecratus, per  
viam electionis sine læsione juris ad aliam transit Ecclesiam.

**V.** Si electio committatur compromissariis, hique indignum eligant, aut dignum  
quidem, at non intra tempus debitum; in priori casu jus eligendi ad compromittentes  
redit, in posteriori vero jure devolutionis ad proximum Superiorem devenit.

**VI.** In rerum ecclesiasticarum censum cum primis veniunt Sacramenta, quorum  
administratio solis competit personis ecclesiasticis, si tamen baptismum excipias in ca-  
su necessitatis, ac forte etiam Matrimonium juxta eorum sententiam, qui hujus Sacra-  
menti ministros efficientes constituunt ipsos contrahentes.

**VII.** Jus statuendi impedimenta tam impedientia, quam dirimentia tanto minus  
Ecclesiæ denegari valet, quo certius id juris non ex privilegio, aut beneficio Prin-  
cipum, vel ex merce (uti loqui amant) Isidoriana profectum sit, sed ex propria Ec-  
lesiæ potestate profluat.

**VIII.** Moderno equidem jure nec Synodi provinciales, multo minus Episcopi sta-  
tuere possunt impedimenta matrimonii, aut ab Ecclesia jam statuta abrogare; nihil ta-  
men obstat, quo minus certis personis, ac in certis calibus matrimonium interdici-  
re valeant.

**IX.** Impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus invalidis de futuro non ori-  
tur; at vero, si ea de præsentibus fiant. Unde matrimonium clandestinum contra decre-  
tum Trident. inutum, etsi sit invalidum, ac nequidem in vim sponsalium valeat, attamen  
inducit impedimentum publicæ honestatis. Impedimentum criminis afficit etiam  
eos, qui ignorant, illud suo crimini esse annexum.

**X.** Inter res Ecclesiæ etiam numeranda sunt beneficia. Si majora fuerint, uti sunt  
Ecclesiæ cathedrales, usque superiores, ea erigendi hodiernis moribus privata. Pon-

Pontifici competit potestas. Minora auctoritate episcopali eriguntur. Atque hæc posteriora potissimum deferunt collatio, & præsentatio.

XI. Beneficia tam curata, quam non curata in sua diœcesi in regula, & quidem jure proprio confert Episcopus, nisi obstat reservatio pontificia: cui minime etiam in Germania nostra subiciuntur beneficia per resignationem permutationis causa, aut etiam absolutam, factam in manibus Ordinarii, in mense etiam papali vacantia.

XII. Ut Episcopus legitime conferat beneficium, illud non modo, saltem de jure vacet oportet, sed etiam omnis simonia absit, necesse est. Collatio enim beneficii necdum vacantis nullius est roboris; & simonia jus ad beneficium, jam possessum, ejusque fructus simul adimit.

XIII. Pluralitatem beneficiorum usque adeo exhorrescit Ecclesia, ut de jure moderno neque Episcopus uni plura conferre valeat Beneficia sive ob residentiam, sive sufficientiam incompatibilia. Nihilominus habenti unum beneficium non sufficiens potest addere secundum, non vero (saltem si attendamus declarationes S. Congregationis) tertium.

XIV. Res, seu bona Ecclesiæ tam immobilia, quam mobilia pretiosa alienari nequeunt sine consensu Capituli, vel Superioris; imo in nostra Patria consensus Serenissimi Electoris accedat, necesse est. In Ecclesiis præterea immediatis quoque similes alienationes præter consensum Capituli in regula requiritur quoque consensus pontificius.

XV. Excommunicatio major inter pœnas ecclesiasticas medicinales gravissima est: unde ea de jure infligi non potest nisi gravibus de causis & præmissis (si ea fiat ab homine) monitionibus a jure requisitis. Porro judicium utrum juri con- vel difformiter lata fuerit excommunicatio, non ad judicem secularem, sed ad illam ferentis Superiorem ecclesiasticum pertinet.

XVI. Excommunicatio ex parte causæ, seu pro foro interno, etiam injuste lata, observanda est, etsi ab ea fuerit appellatum, donec appellans in judicio appellatorio fuerit absolutus. Ab ejus tamen observatione eximitur, qui, antequam lata fuerit, appellaverit.

XVII. Moderno jure alii excommunicati haud vitandi sunt, quam specialiter denunciati, & notorii Clericorum percussores. Quoniam vero nec ultimi vitandi sunt, nisi tale sit factum, *ut non possit aliqua tergiversatione celari, neque aliquo juris suffragio excusari*, non facile quis percussorem Clerici vitare tenetur ante sententiam Judicis declaratoriam.

## EX THEOLOGIA PASTORALI.

I. Pastor concreditus sibi ovibus instructionem, legitimam Sacramentorum administrationem, ac denique bonum exemplum debet. Ut tanto muneri satisfaciatur, debita scientia, maxime Theologia dogmatica, & practica &c. probe imbutus sit, necesse est.

II. Cum finis hominis, adeoque etiam instructionis pastoralis sit primo gloria Dei, & dein salus animarum; hic autem finis a fidelibus obtineri nequeat, nisi a Deo revelata credant, & ejus mandata observent; facile patet, quod instructionis pastoralis duplex sit objectum, fidei nempe dogmata, ac dein omnia morum præcepta. Porro instructio vel publica, vel privata est. Publicæ species sunt Catecheses, Homiliæ, conciones morales, panegyricæ &c. Privata instructio est, quam uni, vel pluribus seorsim damus.

III. Materiam Catechesibus præbent Imo ea, quæ quisque Christianus necessitate mediis profiteri, aut ex præcepto scire tenetur; dein, quæ ad validam, & fructuosam

sam Sacramentorum receptionem requiruntur. Cōcionibus moralibus autem materiam præcipue subministrant officia, quæ quisque Deo, sibi, & proximo ex lege naturali & divina debet: obligationes præterea, ad quas quilibet vi status sui tenetur, virtutes christianæ, conditioni, circumstantiis, & necessitatibus concreditarum ovium magis convenientes, remedia vitiorum &c.

IV. Tenetur autem Pastor vi decreti Trid. Ss. 5. c. 2. de Reform. singulis diebus dominicis, & solemnioribus festis concreditas oves verbo catechetico, aut cōcionatorio sive per se, sive per alios idoneos pascere. Obligatur præterea ad missam singulis diebus dominicis, & festivis celebrandam, fructumque ejus pro subdita sibi plebe applicandum.

V. Officium privatæ instructionis adimplebit curator animarum erudiendo, hortando, arguendo, & consolando. Erudiet, si ovi concreditæ veritatem sibi ignotam pandat: hortabitur, si motiva nova ei, quem veritas jam non latet, addat: arguet, si erranti vitii, quo tenetur, fœditatem, atque malitiam, malaque, quæ eam sequantur, nisi resipuerit, vivis coloribus ante oculos ponat. Consolabitur denique, si per revelatæ Religionis principia dejectam erigat.

VI. Consultus ab aliqua suarum ovium equidem secundum principia verosimiliora respondere tenetur, neutiquam tamen ipsam adigat ad tutiora etiam in materia honestatis amplectenda; siquidem in materia honestatis ex motivis gravioribus, relictis etiam tutioribus, licite operamur. Quodsi verò de valore Sacramentorum &c. agatur, sicut ipse tutiora amplecti, ita & aliis suadere tenetur.

VII. Sacramentorum janua est Baptismus. Proles sibi concreditorum baptizare proprium hodie Parochi est Officium. Quoniam vero sæpe urget necessitas, ut infans etiam a persona laica baptizetur, Pastoris obligatio est, ut præsertim obstetrices rite instruat quoad ea, quæ ad validam Baptismatis collationem pertinent. Et quamvis Baptismum ab obstetrice probe edocta collatum nequidem sub conditione repetere valeat, nisi alio ex capite rationale de illius valore exoritur dubium sub ea tamen proles etiam cum scheda, baptismatis collati teste, expositas recte rebaptizat, si re diligenter investigata, de earum Baptismo legitime facto, certo non constat.

VIII. Cum S. Confirmationem conferre ad Officium Episcopi pertineat, Pastori tantum incumbit, ut sibi concreditos de ea digne, & fructuose recipienda instruat, seduloque moneat, ut post annos discretionis ejus receptionem non nimium differant; non enim hæc receptio meræ facultatis est, sed necessitatis præcepti, ita, ut ejus voluntaria neglectio culpa graviori non vacet.

IX. Eucharistiam Pastor suis subditis præcipue tempore Paschatis, & in articulo mortis ministrare tenetur, & quidem tempore Paschatis ita jure proprio distribuit Parochus, ut ejus subditi non satisfaciant præcepto ecclesiastico, si absque consensu sui Pastoris alii in Ecclesiis illam sumant. Nec minus firmum est illi jus, ut SS. hoc Sacramentum ab alio ægrotis suæ parochiæ per modum viatici dari non queat absque ipsius consensu.

X. Ut pastor circa Pœnitentiam recte agat, exacte officium Judicis, Doctoris, & Medici spiritualis impleat, opus est. Ut Judex præcipue invigilabit, ut pœnitens peccata sua secundum numerum, speciem, & circumstantias notabiliter aggravantes exponat: vere attritus sit non ex solo metu gehennæ, sed ex motivo amoris saltem initialis: ac demum propositio sincero non careat. Male igitur & sibi, & pœnitentibus consultit minister pœnitentiæ, qui quosvis sine discrimine absolvit, præsertim si occasio, aut consuetudo propositum reddat suspectum. Doctorem aget si

ignorantes prudenter erudierit, errantēs & dubitantes caute, & multo cum sale infiruxerit, bona docuerit, mala dedocuerit &c. Muneri spiritualis medici satisfaciet, si, ut pius Samaritanus, opportune nunc vinum, nunc oleum, nunc utrumque vulneribus infuderit &c.

XI. Officium, quod Pastor circa Matrimonium habet, præcipue ab ipso exigit, ut illud contrahere volentes circumspecte de ipsius fine, obligationibus &c. probe instruat: solenter indaget, utrum nullum subfit impedimentum: trinas denuntiationes (absente legitima Episcopi dispensatione) a S. Trid. SS. 24. c. 1. de Reform. præscriptas præmittat; alias, etsi sine his matrimonium sit validum, triennialis suspensionis pœna (ab Episcopo irremissibili) plectendus: caute procuret, ut Matrimonium, si forte propter impedimentum dirimens occultum invalide sit contractum, per novum consensum revalidetur &c.

XII. Tertium, quod Pastor ovibus suis debet, est bonum exemplum: id quod certe præstabit, si flagranti, discreto tamen animarum zelo, virtutibusque tanto muneri competentibus adjunxerit prudentem agendi modum, finisque in omnibus ejus, præcipue sacris functionibus ultimus fuerit.

*Ut in omnibus glorificetur Deus,*

